

quidem prouincia locum non habet nisi solummodo quoddam magnum flumen  
quod habet bonas foces ibi nascitur piper in magna habundantia & cynciber &  
alias species multas habent rex quidem diues est thesauro set non est potens  
gente set regnum ipsius tam fortis habent introitus quod aliquis cum aliqua  
gente non ualeret intrare ad infferendum danum. & ideo non timet de aliquo &  
si qua nauis ad hanc focem siue portum ueniret & non esset nauis que proprie<sup>90</sup>  
ueniret ad ipsos capiunt omnes de naui & omnia bona eis arripiunt & dicunt uos  
ibatis ad alias partes & deus huc trasmisit ad nos ut accipiamus omnia que habetis  
accipiunt ergo omnia que in naui reperiunt & pro se retinent nec inde credunt  
habere peccatum & ita accidit in omnibus partibus prouincie yndie quia si aliqua  
nauis propter malum tempus ad aliquam partem compelitur ad quam iter suum  
dirigere noluisset & diseserit a suo portu causa nauigandi ad alias partes iste tales  
naues quocumque aplicarent & ecceto loco a[d] quem ire uelent capiu[n]tur &  
auferuntur eis omnia mercimonia & thesaurum eorum nam dicunt ad alias partes  
pergere uolebatis set nostra fortuna huc uos conduxit ad hoc ut vestra bona  
deberemus habere & naues mancy & de alijs partibus huc ueniunt in estate &  
onerantur forte in octo diebus & quam cicius possunt inde discediunt quia non  
est ibi portus & mora multum est dubia nam ibi sunt plage & sabulo & non  
portus uerum tamen naues manci non dubitent ire ad plagas sicut alie naues timent  
quoniam secum ferunt tam magnas ancoras de ligno quod retinent naues quibus-  
libet magnis procellis habent insuper leones & multas alias bestias feroce habent  
& uenaciones & aucupationes nunc diximus de regno ellj & de regno melibar  
amodo dicemus/  
hic naratur de regno melibar—:/

*Adorant ydola*

*nota*

**M**elibar est quoddam maximum regnum versus ponentem ipsius gentes <sup>90</sup>  
regem habent & loquelam per se adorant ydola & nuli redunt tributum.  
Ab isto regno aparet stella tramontane ita quod uidetur esse alta super  
terram circa duos gradus. Et ab ista prouincia melibar. & a quadam alia prouincia  
que est penes istam que nominatur guçurat. exeunt singulis anis plures centum  
nauibus piratarum qui capiunt alias naues & depredantur mercatores. quoniam  
magni depredatores sunt & secum ducunt uxores eorum & filios paruulos. &  
tota estate permanent in cursu dapnum maximum mercatoribus & nauigantibus  
inferendo. Et maior pars nauium istorum piratarum se diuidunt in multas partes  
causa atingendi & inueniendi naues quaslibet transeuntium mercatorum. tales  
quidem habent cautelam nam ordinant acies in mari videlicet quod una nauis ab  
alia prolongatur per quinque miliaria. & ita se diuidunt naues una iuxta aliam.  
ita quod uiginti naues occupant miliaria .c°. in mari. & statim cum uident nauem  
aliquam mercatorum unus alteri lumen facit Jsto quidem modo nulla nauis